

50

*Epigrammatum**127. Pax Lunævillensis.*

Perdita principibus laicis bona reddidit hæc pax.  
 Horum quid populis reddidit illa ? nihil.  
 Atqui horum populi plura amisisse leguntur.  
 Indemnes populos philosophia facit !

*128. De classibus Anglicis.*

Pluribus in maribus, Line, cur habet Anglia naves ?  
 A maris unius non caperentur aquis.

*129. Ad FRANCISCUM II. Imperatorem  
 in die onomastica 4 8bris.*

Nomine Tu folo es, Cæsar *Francisce*, secundus :  
 Es, nec adolor ego, cætera Primus enim.  
 Cæsar eras jam, dum Respublica Francica nata est. \*)  
 Sis, hæc cum fuerit mortua, Cæsar adhuc !  
 Quæ cecinit Naso, liceat mihi scribere de Te :  
 Te laudare satis nam mea Musa nequit.)  
 O decus, o patriæ per Te florentis imago ;  
 O vir non ipso, quem regis, orbe minor ;  
 Sic habites terras, et Te desideret æther !  
 Sic ad pacta Tibi sidera tardus eas !

*130. Ad S. Franciscum eadem die.*

Quo minor hic olim fueras, hoc major haberis.  
 Augusti gaudent nomen habere tuum.

---

\*) In Romanorum Imperatorem electus est 7 Julii,  
 et 14 ejusdem mensis coronatus anno 1792. Aera  
 Republicana incoepit autumno sequente.

\*\* ) Trist. Lib. V. Eleg. 2. distich. 25 et 26.